

Similis probatio est, quæ exstruitur ex Matthæi V, 25: *Amen dico tibi, non exhibis è carcere, donec reddas extremum quadrantem.* Planè ut olim in balneis æreus quadrans solebat dari, cuius oblatione quisq; facultatem illic lavandi accipiebat; ita in *Purgatorio* solutione quadrantis, quem solvet pro te Missificus, si hæredes priùs persolverint (namq; alias ita sonat, *küpffernes Geld/küpfferne Scelmessan*), eluentur peccata, si tam diu noxijs excarnifetur, ut commissi erroris supplicia expendat. Ex solo sensu literali, audivi aliquando ex Bellarmino, non verò ex allegoricis detorsionibus, nec tendet à ducenda sunt argumenta in articulis fidei: Deinde *Cardinalis Cajetanus & Erasmus* hunc locum non expoununt de *Purgatorio*, sed de concordiæ inter dissidentes plantandæ studio; & *Purgatorium* ex hoc loco probari posse planè negant *Cornelius Jansenius, Franciscus Toletus, Didacus Stella & Johannes Maldonatus*, cuius verba bonâ fide (non enim solent Doctores nostri mentiri) allegata hæc sunt: *Quod autem dicit, nos inde non exituros, donec ultimum quadrantem persolvamus, non significat, ut ait Augustinus, exituros postea, sed nunquam exituros, quia qui in inferno sunt (non ergò explicat de Purgatorio, quod notent predicatores Pontificij)* quum semper debitas pœnas solvant, quia pro quolibet peccato mortali infinitas pœnas debent, nunquam persolvunt. Manifestum itaq; est, Christum in hoc loco loqui de illis, qui nec cum Deo per pœnitentiam, nec cum proximo per condonationem fraternalm in hâc vitâ reconciliantur, qui non descendunt (ex hypothesi Pontificiorum) ad *Purgatorium*, sed in ipsum infernum, non enim moriuntur in charitate, & per consequens nec in fide.

Ita miror sanè, quâ fronte aut conscientiâ adducatur illa Evangelistæ phrasis <sup>(5)</sup>, *Non remittetur neg, in hoc sæculo neg, in futuro* <sup>(5)</sup>, Ergo est *Purgatorium*. Ergo *Purgatorium* erit in sæculo altero seu futuro? Ergo post absolutissimum illud & decretorium judicium adhuc futura est aliqua remissio quorundam peccatorum? non puto, nec optem

A 2

expe-

(5) Mattb. XII, 32. (5) Similis phrasis est Sirachic. IX, 17. ἔως ἣ δέξῃ μὴ δικαιωθῶσι, bis in die Hölle hienein/i.e.nunquam: עַד־בָּרוֹן Prov. XXIX, 17. ob er auch in die Hölle führe/ ubi Liranus, Nemo potest eum adjuvare, quoniam post mortem non est locus pœnitentiae.